

ius acquirere potest. Nulla enim idonea subest ratio, cur actus, qui diuiduus est, in quantum licitus est, effectum suum minime sortiatur.

CCCCLXXIII. Denique tertia sequitur regula: vt quamuis actus intuitu vnus sit illicitus, valere tamen intuitu alterius possit; et quidem duplici modo: vel tam in foro interno, quam externo, vel in alterutro saltem; prout nimirum et ius, quo hic vtitur, internum est, vel externum, aut vtrumque simul. Dum enim quis ius suum vsurpat, legem non habet repugnantem: cessat igitur causa, ob quam actus robore suo priuetur. Cf. Grot. II. V. § 10. n. 1. et §. 16. tum II. XI. §. II.

CCCCLXXIV. Quemadmodum conditione pacto adiecta non magis obligatur promittens, quam se obligari velle declaravit, ex eadem ratione, si addatur dies, ex qua praestanda sit res promissa, eam nequit exigere acceptans, antequam dies apposita venerit. Vbi vero pura, id est, sine die et conditione facta est promissio, tenetur illam implere promittens, quam primum id facere potest, et stipulator praestationem postulat, nec tamen hic statim *cum sacco adire debet.* v. L. 105. D. de Solut. L. 33. D. de vsur.

C A P U T XVI.

De possessionis iure et dominio opinato.

CCCCLXXV. Finita est, teste experientia, humani ingenii vis, nec tanta cuiquam obigit rerum cognitio, vt non maximum earum numerum ignoret, quas omni licet adhibita diligentia scire tamen nequit. Quidquid per vires nostras physicas noscere impossibile est, vti et id, ad quod cognoscendum non sumus obligati, illud inuincibiliter ignoramus, lege haud repugante; planum igitur est, dari iustam plurimarum rerum ignorantiam, v. L. 42. Dig. de Reg. Iur.

CCCCLXXVI,

CCCCLXXVI. Quod ex ignorantia inuincibili patratum, nemini imputari potest, quare *factum*, vel *non factum circa rem alienam* susceptum, quamdiu huiusmodi ignorantia durat, laesio moralis non est, sed actio lege permessa. Ius proin competit cuique ea agendi tanquam iusta, quae talia non essent, si suam ignorantiam posset superare *v. L. 99. de Reg. Iur.*

CCCCLXXVII. Qui iusta labore rei alienae ignorantia, is est in *bona fide*, qui vero suum esse simulat, quod alienum esse scit, vel culpose ignorat, is est in *mala fide*; ex quo quinam bonae et quinam malae fidei professor sit, intelligitur.

CCCCLXXVIII. Itaque patet, bonae fidei possessorem rem alienam esse ignorare, verum se dominum opinari, et hinc possessionem interim retinere, aut amissam recuperare, atque actiones cum opinione veri domini connexas suscipere iure posse: neque ei laesionem vero domino illatam esse imputandam. Contra malae fidei possessori, et illi, in quò mala fides superuenit, omnem postea actum imputari, qui ad exercitium domini pertinet. *v. L. 136. D. Reg. Iur.*

CCCCLXXIX. Atque ex his ulterius colligitur, dari occupationem, accessionem, et translationem domini, aut alterius iuris *putatiuam*, si quis rem alienam apprehendit, quam credit esse nullius, vel rem suae rei accedentem suam esse iudicat, aut a vero domino sibi traditam opinatur; atque huiusmodi error omni culpa vacuus est.

CCCCLXXX. Hinc quanquam vera non adsit occupatio, nec vera accessio, nec vera domini, aut iuris adquisitio deriuatiua, tamen bonae fidei possessor pro vero domino habetur, donec contrarium appareat, et dominus verus cognoscatur. Aliud dicendum foret, si culpa subesset adquirere volentis, vehiri quom vel ex *loco*, vel ex *natura* rei inuentae fati desumi posset, rem esse alicuius propriam.

CCCCLXXXI. Quia tamen inter cetera dominii iura et illud reperitur, ut quis possit rem suam vindicare, hinc medium ad hoc necessarium adhibere, poterit in hac specie verus dominus suum probare dominium, hoc est, possessori fideri facere rem ab eo detentam sibi esse propriam; quo praestito praesumptio cedere veritati debet.

CCCCLXXXII. Ast grauis difficultas, an hocce dominium putatiuum diurnitate temporis in verum dominium conuertatur; siue an sola lege naturali nitatur *Vsucapio*, quae dicitur modus acquirendi deriuatiuus, quo quis rem alienam, ope I iusti tituli, II. bonae fidei, III. possessionis non interruptae, et IV. longaeni temporis ita suam facit, ut priori domino superuenienti amplius restitui ea non debeat.

CCCCLXXXIII. Adfirmant Grotius, Pufendorfus, Wolfius, alique non pauci, quamquam non ex eodem fundamento. Quidam enim prouocant α) ad praesumptam derelictionem rei tanto tempore non possessae, aut non repetitae data occasione: β) quidam tacitam volunt interuenisse conventionem, quae possessori diuturno verum dominium tribuat: γ) quidam rationem repetunt ex sine proprietatis, quae non possit semper in incerto fluctuare, et hinc dominium putatiuum cum vero confundi debeat: δ) quidem denique felicitatem vrgent humani generis, quae stare nequeat, si perpetua admittantur de proprietate dissidia.

CCCCLXXXIV. Enimvero si vera adest rei derelictio, dominium occupatione acquiritur; si autem derelictio tantum praesumpta est ac ficta, cedere debet veritati, quam primum verus dominus declarat se nunquam habuisse derelinquendi animum; quid quod huiusmodi praesumptio contraria est legi naturali, quae prohibet hominem res suas iactare?

CCCCLXXXV. Porro domini silentium derelictio-

tionem satis non equincit; oritur enim saepe ex ignorantia, vel ex metu possessoris; et si quis non contradicit, ut alter rem possideat, non sequitur, neque contradicere, ut perpetuum eius habeat dominium. Sed etiam tacita quaedam conventio rem permittendi possessori vltro fingitur; quin potius id voluisse omnes censentur, ut res amissa suo domino restituatur.

CCCCLXXXVI. Nec melior ratio est in confusione. Si enim confusio domini putatiui cum dominio vero causa esset vsucapionis, haec etiam cessare deberet cognito vero rei domino, siquidem tunc confusio quoque desinit.

CCCCLXXXVII. Denique communis felicitas non probat vsucapionem iure perfecto obtinere; siquidem officia beneficentiae ac gratitudinis exhiberi etiam interest humani generis, inde tamen non concluditur, adesse obligationem perfectam, ut praestentur. Immo vero paci et tranquillitati satis consultum est *Iure possessionis*, quam quis licite tueretur, donec alter perspicue demonstret, se rei dominum mansisse; quod si fuerit factum, rei restitutio communi bono nullatenus repugnat.

CCCCLXXXVIII. Nulla igitur adduci ratio sufficiens potest, ob quam a domino, qui neminem laesit, atque inuito, rei dominium in possessorem naturaliter veriuetur. Praesertim si perpendamus, tempus, ex quo vel derelictio, vel conventio, vel confusio colligi deberet, nullo modo sola lege naturali determinari posse, an nimirum decem, viginti, centum, aut quot demum annis impleatur. Adeoque tota vsucapionis doctrina ad iura positiua pertinet.

CCCCLXXXIX. Sane si fingamus quietam rei possessionem durasse immemoriali tempore, ut nulla in contrarium esset memoria, utique idonea domini probatio esset impossibilis, adeoque tunc ius possessionis a iure veri domini quoad effectum non distabit.

CCCCXC.

CCCCXC. Quamprimum autem dominus ius suum manifestat, possessor malae fidei, cui omnes actus imputantur circa domini exercitium, non modo cogitur rem restituere, si adsit, atque omne damnum resarcire; sed si res periit ob moram, nec alias fuisset peritura; dominum indemnem seruare debet; porro fructus praestare omnes siue *perceptos*, siue *percipiendos*, quibus scilicet uel ipse, uel petitor frui potuisset.

CCCCXCI. Contra possessor bonae fidei, quia domino ex ipsa re quidem obligatur; non autem *ex facto* in re, quam iuste suam putauit; si res deterior facta sit, aut tota perierit, damnum utique non resarcit: aliter restituere tenetur rem ipsam adhuc exstantem et omne ex re proueniens *lucrum*; quod scilicet possessor ex illa plus habet, quam antea habebat.

CCCCXCII. Atque eo pertinent I. aestimatio tam rei permutatae, si eam habuerat gratis, quam donatae, si aliam fuisset donaturus, nec dominus rem possit obtinere a secundo possessore. II. Dein omnes fructus exstantes, ei ii, e quibus locupletior factus est, ueluti si suis pepercit; non autem fructus plene confanti, uel percipendi *v. L. 151. et 206. D. de Reg. Iur.*

CCCCXCIII. Sumtus, quos in rem facimus, siue eius conseruandae, siue fruendae, siue ornandae causa *Impensae* dicuntur, et sunt uel *necessariae*, uel *utiles*, uel *voluptuariae*. Quoniam quilibet tenetur res suas conseruare, et meliorare, impensae necessariae et utiles restituendae sunt tam bonae, quam malae fidei possessori; nil enim fecerunt, nisi quod dominus ipse facere debuisset, cui porro non licet ex re aliena lucrari.

CCCCXCIV. Impensas voluptuarias uero quod attinet, eas malae fidei possessor sciens facit, etsi facere non esset obligatus; eas igitur gratis domino concedere uidetur; Aliter bonae fidei possessori illas *tollere* licebit;

H

hoc

hoc est, auferre sine vilo rei detrimento, vel quantum inde lucri caperet dominus, ab ipso postulare.

CCCCXCV. Ceterum confundi non debet cum impensis id, quod possessor bonae fidei sponte erogauit pro re acquirenda; si enim hoc reddere ille deberet dominus, re ipsa recuperaret nihil; sufficit igitur possessori saluum sibi esse regressum contra eum, a quo rem accepit; nec quidquam a domino potest postulare; nisi in illa specie, quando rem certo corrumpendam, veluti a pirata, eo animo quis redimit, vt domino eam restituat. Sed nec mercedula inuentionis debetur inuentori iure perfecto, nisi sit promissa. *v. L. 15. de Praescr. Verb.*

CAPVT XVII.

De pactis speciatim beneficis.

CCCCXCVI. Introducta rerum proprietate non eadem erant externa hominum facultates, sed quidam certis rebus abundabant, quibus alii indigebant; quem autem homines mutuis viribus se se perficere, tenerentur, inde orta est obligatio, vt res et operas sibi inuicem communicarent.

CCCCXCVII. Erat tamen imperfectum illud vinculum, nec quisquam ad suum alteri concedendum inuitus cogi poterat, ne secus inutilis fieret introductio dominiorum; igitur quicumque voluit ad alienum in suum recipere, is quoque domini consensu, adeoque pacto opus habuit, et haec pacta, quatenus perfectam pariunt obligationem, *contractus* etiam adpellantur.

CCCCXCVIII. *Essentiale* contractus id dicitur, sine quo contractus non est, ita vt vel actus sit plane nullus, vel transeat in alium contractum. *Naturale* est, quod per se inest, et subauditur, sed expressa conuen-